

XVI. 8<sup>o</sup> 28<sup>b</sup> (car. 4, 176.)





DISQVISITIO  
HISTORICO - CRITICA  
**IN BIGAMIAM COMI-  
TIS DE GLEICHEN**  
CVIVS MONVMENTVM EST IN ECCLESIA  
S. PETRI ERFORDIAE.

VNA CVM  
**SYSTEMATICA THEOLOGIAE  
CATHOLICAE SYNOPSI**

QVAM  
ANNVENTE S. FACVLTATE  
THEOLOGICA  
IN ALMA AC PERANTIQA VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI  
**PRO CONSEQUENDA DOCTORA-  
TVS THEOLOGICI SVPREMA  
LAVREA**

PUBLICO ERVDITORVM TENTAMINI

SUBMITTIT

**P. PLACIDVS MVTH**

IN REGALI MONASTERIO AD SS. APOST. PETRVM ET  
PAVLVM O. S. B. PROFESSVS, SS. THEOL. LECTOR  
BACCALAVREVS BIBLICVS ET FORMATVS.

RESPONDENTE

ADMODVM REVERENDO AC RELIGIOSO

**P. JOSEPHO HEINE**

EIVSDEM ORDINIS ET MONASTERII PROFESSO  
IN AUDITORIO COELICO

HORIS CONSVERTIS

DIE XXVII. MAI. M DCC LXXXVIII.

**ERFORDIAE, LITTERIS NONNIANIS**





## DISQVISITIONIS OCCASIO ET SCOPVS.

**P**aradoxa res, atque hinc vel mintis apta videri forsitan pluribus posset, quod disputationi theologicæ præmittere disquisitionem historicam voluerim; cum potius dissertationem theologicam modernis utique accommodatam temporibus, eruditis elaboratam notitiis expectassem. Horum satisfacere sententiis dudum equidem mens fuit atque voluntas, ut hunc in fine iamjam collegim materias varias, ni fallor, non plane inutiles: atvero quibusdam adhuc destitutus subsidiis immaturam reliqui sobolem, ne in lucem edita simul moreretur, evolutionis eius

A 2

aliam



aliam expectaturus epocham. Theologi vero quoque est, ex historiis eruere veritates, antiquatos jamjam errores humanitatis amore dispellere, præjudiciis, qua valet, industria sese opponere, cognitamque aut inventam veritatem & aliis communicare. Quod his demum motivis satis dignis variorumque amicorum variis persuasionibus ductus præsentem præ cæteris elegerim materiam, quod domestica illa sit ab extraneis varie equidem veris falsisque fundamentis vendilata, a domestico hucusque necdum elaborata, quod simul finem habeat plane theologicum, inquirendi scil. in factum theoræ catholicæ de bigamia in lege christiana plane contrarium: quin justa sit & pluribus forsitan non ingrata ista hæc mea disquisitio, quid impedit, quomodo crederem?

Decantata jamjam a seculi decursu per omnes Thuringiæ nostræ aliasque Germaniæ provincias comitis de Gleichen historia illa est, cuius monumentum publicum in Ecclesia nostra conditum visitur: Bigamus fuisse fermentum ex dispensatione S. Pontificis, qua duas simul uxores christianam alteram, alteram e mahumetismo conversam habere illi licuisset. Non infrequens desuper disputandi hucus-

cusque mihi occasio fuit, cum multis hac de  
 causa convenientibus antiquitatum amatori-  
 bus monumentum istud ostendere honor  
 fuit; diversa etenim ad hunc usque diem di-  
 versorum opinio viget, plurimis eam ipsam  
 tuto adfirmantibus, aliis difficulter demum  
 dubitantibus \*) Sed minus hucusque de-  
 fuerunt viri alii & genere quidem nobilitatis  
 & studio antiquitatum clarissimi, qui meis  
 adsentientes negandi rationibus & alias sug-  
 gessere exoptantes quam maxime, ut rem  
 totam ex domesticis vendilarem documentis,  
 & publici juris facerem. Tentasse juvabit,  
 cum hac occasione scribendum aliquid esset;  
 cumque rem totam demum invenisse pu-  
 tarem, breviter prius eandem proponere  
 eruditorum crisi, consultum duxi, antequam  
 germanicō sermone, quod magis volui, ad  
 plebis tollenda præjudicia editurus essem.

A 3

IN-

\*) videatur Journal von und für Deutschland  
 1784. und die 1785. gegebene Antwort der  
 Frage, den Graf von Gleichen, welcher  
 zwei Gemahlinnen zugleich gehabt haben soll,  
 betreffend. im 7. Stück n. 18. S. 96.

# INTRODVCTIO ET SPECIES FACTI,

## §. I.

**P**erantiqua fuit ab origine sua, & ab antiquitate præcellens floruit illa Comitum de Gleichen familia; atvero perobscura simul reperitur eorum historia ad seculum usque XII; quod coævis destituta, & fide dignis minus roborata sit auctoriibus. a) Primam eorundem ex nostris manuscriptis haurire notitiam demum valui ab Anno 1192. de Erwino tunc temporis hujus familie seniore b) Patre quidem Ernesti, quem Bigamum illum hactenus fabula retulit, cuius detegendæ causa isthanc disquisitionem criticam c) publici iuris facere placuit.

a) Sagittarii, Historia der Grasschafft Gleichen,  
Frst. 1731. Galleti, Geschichte Thüringens.  
Gotha 1782.

b) Mscripti verba sunt: *Erwinus Comes Senior de Glichen, ut Dominus peccatis meis indulgeat, & animæ meæ requiem tribuat, S. Petro & suis Monachis prædiuim in Walisleuben benivole contuli. & donavi. Anno M. C. XC. II.*

c)

c) Tituli præfixi causa non esse, opinor, car  
clar. Schlozer curem, Weltgeschichte I. Th.  
Einleitung, nota 4. ita objurgantem: His  
storie ohne Politik bringt nur Mönchschroni-  
ken und Dissertationes criticas: æqui ni-  
mitrum rerum æstimatores non exigua hac  
in parte monachorum merita grati recon-  
gnoscunt, quod seduli rei litterariæ culto-  
res scripta simul reliquerint historiam plu-  
rimum illustrantia. Vel num ideo con-  
temnendæ erunt eorum chronicæ, quod  
absque politices eruditis notitiis a mona-  
chis conscriptæ fuerint? Primum puto &  
præcipuum, quod in historia quærimus,  
factorum veritas est. Et huic referendæ  
quis incapaces monachos dicet?

## S. II.

Illi lectoribus amicis, queis ipsa hæc spe-  
cies facti vel plane non vel obscure tantum  
innotescit, paucis eandem enarrasse iuvabit.  
„Anno 1227, cum Fridericus II. rom. Imp.  
„expeditionem in Asiam contra Saracenos su-  
„scipisset, asseditus est eum Ludovicus (IV.  
„cognomento Pius) Lantgravius Thuringiæ,  
„qui in Sicilia copias suas Comitibus, Baroni-  
„bus, Nobilibus & aliis viris lectissimis præ-  
„stantes cum illius exercitu conjunxit. Illine  
„digressus Ludovicus cum Imperatore Brun-

A 4

dusium



„dusium venit. (Locus ille erat omnibus per  
 „Europam convenientibus cruce signatis com-  
 „nunis) Morbo repentino correptus Ludovi-  
 „cus brevi ibidem expiravit. Abeunte Impe-  
 „ratore cum exercitu secutus est eum Comes  
 „de Gleichen. Fuit in eo animi quædam cel-  
 „sitas & ardor pugnandi contra communes no-  
 „minis christiani hostes; quare cum in recu-  
 „peratione terræ sanctæ quodam die longius  
 „e castris cæsareis progressus erat, circumfu-  
 „sus est hostium multitudine, & a Saracenis  
 „captivus abducitur. Crudeliter ab hostibus  
 „tractatus est vel in carcere detentus vel ad  
 „serviles durosque agri colendi labores detru-  
 „sus. Accidit divina clementia favente, ut  
 „amor filiæ Soldani, sub quo serviebat Co-  
 „mes, in eum inclinaret, quod pulcher facie  
 „& animo generosus videretur; quæ cognita  
 „ejus, a genere nobilitate triste servitium fre-  
 „quenti alloquio simul linire satagens fuit. Pa-  
 „cta tandem est cum eo de matrimonio, non  
 „obstante, quod Comes fateretur, se domo ex-  
 „euntem legitimam reliquisse conjugem &  
 „proles, & quod ipsa Saracenica sit, cui nubere  
 „non licet christiano, respondit illa parata ad  
 „christianam proficendam religionem, licere  
 „foritan per dispensationem. Data demum

„occa-

¶


„occasione proxima fugerunt ambo. Romam  
„venientes rem, uti gesta erat, enarrarunt S.  
„Pontifici, qui demum commotus veniam de-  
„dit Bigamiæ simultaneæ. Inde in Thurin-  
„giam veniens solus primum ingreditur do-  
„mum: agnitus atque exceptus ab uxore vi-  
„mente, ardenter enarrare cepit, quomodo  
„fortuna, dum absuisset, secum egerit; & tan-  
„dém uxorem aliam e mahometismo conver-  
„sam Romæ baptizatam & dispensante simul  
„Pontifice in Bigamia secum ibidem copulatam  
„adduxisse memorat, quæ vitæ suæ unica con-  
„servatrix fuisset, & libertatem prudentia de-  
„disset, rogans modis omnibus, ut si se salvum  
„& in columem ex tanta tamque immani servi-  
„tute, qua in terra hostili oppressus fuerat, li-  
„benter ferat, etiam Saracenicae conjugis so-  
„cietatem benigne admittat. Quod cum fu-  
„turum libenter promisisset, in domum intro-  
„ducta est mulier Saracenica. Summa con-  
„cordia marito uni in unis ædibus, in uno  
„lecto cohabitavit utraque conjux. a) Forma  
„excelluit Saracenica, dono pariendi christia-  
„na. b)

a) Affervari adhuc dicitur in castro Gleichen  
vel alibi lectus grandis, in quo simul cuba-  
set Bigamus cum utraque uxore; sed ple-

A


ſ

beja



beja satis & absque fundamento ulteriori  
isthæc traditio est; hinc narrasse sufficit.  
Cæterum, si ex lecto grandi pro dicta Biga-  
mia concludere liceret, idem & ego pro alia  
ex lecto simili in vicina nobis civitate pos-  
sem, in quo pro tribus & quatuor perso-  
nis commode capiendis aptato unica per-  
sona semel in anno hospes dormit.

- b) Ex Mscpto Anonymi confratris, qui chro-  
niciam Nicolai de Sighen descripsit, & hanc  
simul ex auditu adnotavit historiam, videan-  
tur quoque Volksmährchen der Deutschen.  
1ter Th. Melechata. Gotha 1787. Galler-  
ii I. c. 2ter Band: S. 309. Sagittarius I., c.  
S. 52.



## DISQVISITIO FACTI.

### S. I.

**H**is ita enarratis, quid veri quid falsi con-  
tineatur, disquirere mens est atque voluntas.  
Artis criticæ illud est excellens in republica  
litteraria emolumentum, ut regulis ejusdem  
in factis historicis rite adhibitis falsa a veris,  
probabilia a dubiis, certa ab incertis secer-  
ne et facile possimus. Genuinus sit, præ cæ-  
teris

teris necesse est, referens facta historica, ea  
instructus mentis acie, eaque rei cognoscen-  
dæ facultate, ut semotis queiscunque præju-  
dicis & affectibus sinistris sagaciter discerne-  
re, solide judicare ac recte demum enarrare  
valeat: Sincerus sit & veritatis fidelis ama-  
tor, ut in referendis facti circumstantiis nullo  
partium studio abreptus simul adducat enar-  
rationis suæ fontes, documenta authentica,  
testes fide dignos; atque charitatis demum,  
sapientiæ, humanitatis inviolatæque fidei re-  
gulis ductus plane enarret certa, dubia, falsa,  
quæ in re ipsa reperiuntur. \*)

\*) Animadversiones in regulas & usum criti-  
ces, auctore P. Honorato, Carmelita discalce.  
Venet. 1768.

### §. II.

In critica alicujus facti disquisitione quam  
maxime inquirere oportet in historiæ enarra-  
tæ originem, cum tota subsequentium aucto-  
ritas in primo ieiudeat teste referente, in con-  
nexione facti cum simul adjunctis tempo-  
rum, personarum, locorum circumstantiis, in  
relatoris quoque situationem, ex qua exierit  
inquirens, in fontes, unde hauserit notitas,  
in rationes, quies roboraverit dictorum veri-  
tatem,



tatem. Quæ cum certa putaverim, ad factum Comitis de Gleichen, quod supra descripsi, applicare licebit.

### S. III.

Mirum est sane, quantum ab origine sua isthæc fabula occupaverit multos, qua simul sollicitudine & cura valorem ejusdem vel augere vel sustentare saltem adlaboraverint; sed quem illi finem usumque intenderint, divinare iis difficile minus erit, quibus ad seculum inventionis & usitatam in eo cavillandi methodum relationis ducere filum placuerit. Initium hujus historiæ antiquius producere hactenus nemo poterat, quod præterlapsum seculum XVIIum transcederet, in quo variæ variorum se invicem exscribentium a) primæ reperiuntur opiniones vagæ, quincerti quidquam ad veritatis confirmationem vel ex documentis archivorum b) vel ex testimoniis prioribus fide dignis c) adferre placuerit, ut & D. Galleti fateatur, fontes equidem coævos non esse; quod igitur his aliisque ex rationibus in dubium a variis vocari jamjam cæperit; essent vero aliæ, quæ saltem probabilem eandem redderent, & relationes & fundamenta; quin tamen vel verbo mentionem

nem unius facere aut fontes adsignare voluerit. d)

- a) Io. Becherer in chron. Thuring. historiæ hujus primum editorem adsignat D. Galletti, quem secuti sunt cæteri omnes apud Sagittarium ad credendum aut singendum æque faciles quam a critics usu alieni. — Demonstrationum defectum theatrales interim supplebant repræsentationes, romani-sandi methodus moderno facile eandem accommodavit legentium gustui; prædilecta jamjam adversus S. Pontificis potestatem præjudicia credibilitatis elevabant auctoritatem; monumentum Erfordiense publicum erat in hujus rei perpetuam memoriam loquens testimonium; atque hac ratione Ernestus de Gleichen Bigamus per orbem terrarum innotuit, non quod ipse talis unquam probari potuerit, sed quod eum talem fuisse post tria secula fingentes voluerint.
- b) Ad archiva variorum Principum Thuringiæ Sagittario aditus patuit, ut Comitum de Gleichen illustraret historiam; sed comprobare inde documentis authenticis prædictum Bigamum minus valuit; nec ego haec tenus pepercí conatibus, ut communicando variis amicis litteras adquirere quidquam vel certitudinis vel probabilitatis voluerim; sed nihil unquam reperisse omnes fatentur
- c) ad,

- 14
- = = =
- c) ad Mscptum seculo antiquius provocat Olea-  
rius in syntagmate r. rum Thuring. sed me-  
rito contemn t Fa k nstein in Analectis cir.  
quod, cum ipse ediderit syntagma Anno  
1707. Manuscriptum suum seculo antiquius  
ad tempora Ernesti minime pertingat, &  
nihil probet.
- d) Forsitan quod clangentis auri splendore a  
lege divina Pontifex abstractus fuerit. Sed  
fabula detecta omnis simul cessabit suspicio  
& probabilitas.

#### S. IV.

Historico, si sancta ipsimet veritas sit, si  
veritatis propagandæ causa vel religioni vel  
reipublicæ litterariæ vel hominum emandan-  
dis notionibus moribusque utilis esse velit, ea  
incumbit obligatio gravis, ne in plebeis va-  
gisque traditionibus fundamenta jaciens cre-  
dulitati illudat, dissensionis semina spargat,  
præjudicia consolidet, mendacia vendat, ut  
potius, quæ illas genuere ac nutriunt, fictio-  
nes detegat, errores dispellat, & simul, quæ  
veritati conducunt, argumenta proferat ge-  
nuina, ut authentiæ ac sinceritatis compro-  
bandæ legenti quoque offeratur occasio. Quæ  
cum in isthac Bigamiae simultaneæ relatione  
cuncta desiderantur, ceu fictam simul rejicimus  
omnes. \*)

\*) Unius

\* ) Unius critici certe minus suspecti judicium  
 hac super readnotasse juvabit. Cl. Baylea)  
 enarrata breviter ex Hondorfii Theat.  
 exempl. hujus historiae epitome isthac ad-  
 jungit: Un fort honnête homme (Mr. Pal-  
 lardy ministre franç. à Delft) qui m'indi-  
 qua cette histoire l'an 1697. me parut sur-  
 pris de ce, que les Ecrivains protestans,  
 obligés de faire aux reproches touchant  
 ce que les reformateurs permirent à un  
 Landgrave de Hesse (Philip. l'an 1540.)  
 n'ont point allégué la permission, qui fut  
 accordée par le Pape au Comte de Gleichen;  
 & voulut savoir ma pensée la dessus, —  
 Respondit Criticus: — Premierement c'est  
 un fait assez obscur; secondelement il ne sera  
 de rien d'alleguer, parce qu'on ne peut  
 produire les lettres du Pape, ou le te-  
 moignage de quelque auteur contemporain,  
 ou l'aveu des ecrivains catholiques. Hon-  
 dorf est presque le seul auteur, que l'on al-  
 legue, & cent autres de même trempe ne  
 peuvent donner aucun poids à ce conte-la . . .  
 Le Monument d'Erford ne peut rien prou-  
 ver. Une figure d'homme entre deux figu-  
 res de femme signifie t-elle clairement la  
 Polygamie? Ne peut-elle pas signifier en-  
 tre autres choses deux mariages succe-  
 sifs . . . ? combien y a-t-il de contes absur-  
 des que l'on tâche de prouver par des mo-  
 numens de pierre? . . .

a) Di-

a) Dictionair histor. & crit. Tom. II. Art.  
Gleichen nostræ edit. 1730. fol. 555.

S. V,

Quemadmodum vero ab inventionis suæ epocha novitatis nota merito inuritur prædictæ fabulæ; ita quoad receptionem ac universalitatem summo semper laborabat vitio. Henr. de Falkenstein in Analectis citatis se pluries vidisse memorat monumentum Comitis de Gleichen in ecclesia S. Petri Erfordiæ; sed vidisse simul fatetur ridentes monachos, quotiescumque a peregrinis enarratam audierint Bigami Comitis historiunculam; & merito quidem, propterea quod nonnisi risu digna sit. Catholicorum nimicrum principia de matrimonii indissolubili vinculo, de unitate contractus matrimonialis a) deque illa S. Pontificis dispensandi facultate b) perspecta satis sunt, quam ut fabulæ recensitæ aurem quis prudens poterit præbere benignam. Silent de hujus facti enumeratione historici antiqui omnes; silent & chronicæ Manuscriptæ vel coævæ vel proximæ, quarum auctores res illa magni momenti a seculis anterioribus nunquam audita ipsis simul aut vicina aut domestica latere diu non potuissent. c)

a) Poly.

- a) Polygamian in ecclesia primæva toleratam adhucdum fuisse existimant Gundling Ulls gemeines geisti. Rechi. Tom. II. fol. 1910. & Hermann Jurist. Lex con pag. 700. n. 7. catholicorum vero sistema referunt Gonzalez ad cap. 2. de spons. duorum. Natalis Alex. Histor. eccl. Tom. I. Dissert. de Lamech. & Theol. Tom. I. de Polygam. pag. 844. cæterique & Theologi & Canonicistæ.
- b) Caput equidem ecclesiæ & centrum unitatis veneramur S. Pontificem rom. dispensandi autem facultatem in lege divina nullus unquam somniavit aut Pontifex rom. aut Theologus catholiceus.
- c) Præcipuæ ac notaru dignæ chronicæ tum Germaniæ tum Thuringiæ nostræ collectæ dudum & in lucem editæ reperiuntur in Pi- stori & Menkenii operibus de Scriptoribus rerum german. in Ekardi Historia geneal. Principum Saxon. in Schannat. vindemiis litter. Novissimum, quod ad manus habui, illud erat Burchard. Gotthelf. Struvii Ratisb. 1726. conferre cum illis, qua potui, diligentia curavi domesticum nostrum Nicol. de Sighen chronicon petrense, eo quod varia collegerit ea tempora multum illustrantia hactenus nondum edita, sperans fore, ut vestigia quædam Ernesti Bigami legere liceret; Atvero contrarium potius me

B

nunc



nunc inde deducere posse confido, eoquod  
in hoc ipso seculo XIII. plurimam de Co-  
mitibus de Gleichen repererim relationem,  
de Bigamo Ernesto summum silentium.  
Eadem, puto, notitia, qua Friderici imper.  
Ss. Pont. Honorii III. Gregorii IX. Inno-  
centii IV, Sigefridi Archiepisc. Mogunt.  
gesta plurima, qua Erfurtensium & mona-  
sterii nostri fata omnia etiam minima, qua  
obitus & sepulturas forsitan omnium Co-  
mitum de Gleichen in ecclesia S. Petri toto  
illo seculo colligere potuit, & de hoc Biga-  
mo referre quidquam valuerit.

## §. VI.

Quod illa in recensisitis antea operibus ad-  
notata non legerim adeoque occulta hucus-  
que latuerint, hic loci retulisse juvabit. a)  
„Anno Domini 1234. Henricus Landgravius  
„Thuringiae habuit inimicitias cum Comite  
„Henrico de Glichen.... tandem Landgravius  
„pertæsus malorum, quæ passus erat ab Henrico  
„Comite de Glichen ipsum Comitem legitime  
„citatum, ac postea sententialiter proscriptum  
„novissime omni suo iure feudali privavit;  
„quapropter Episcopus Moguntinus Erfor-  
„densem advocatione Landgravio solvendam  
„commutans episcopales redditus in Württem-  
„,scil.

„scil. 40 talenta eidem jure feudali tamdiu  
 „porrexit, quoisque per alia bona advocatiæ  
 „restaurare faciat. — Ao. Domini 1247. obiit So-  
 „phia mater Henrici Comitis de Glichen simul  
 „& Hermannus Comes de Orlamunde. Anno  
 „1249. Lampertus de Glichen frater *Ernesti* &  
 „Henrici Comitum de Glichen adjutorio Her-  
 „manni Herbipolensis Episcopi & amicorum  
 „suorum Praeposituram Erfurtensem in eccle-  
 „sia BM. V. a D. Papa Innocentio IV. impetra-  
 „vit. — Anno 1257 obiit Henricus Senior de  
 „Glichen & ad S. Petrum Erfordiæ in sepul-  
 „chro suorum progenitorum fuit honorifice  
 „tumulatus. — Anno 1266. obiit Erwinus Co-  
 „mes de Glichen — Anno 1290. obiit gene-  
 „rosus Comes Albertus de Glichen in vigilia an-  
 „nuntiationis Dominicæ 9.<sup>o</sup>, Kal. April. & ad  
 „S. Petrum in Erfurt, ubi est sepultura eo-  
 „rundem Comitum honorifice fuit tumulatus.  
 En recensitos omnes per totum seculum Co-  
 mites de Gleichen: cumque & ipsum Ernestum  
 nominet chronicæ auctor, cum simul &  
 obitum & sepulturam duorum ipsius filiorum  
 Erwini & Alberti \*) adsignet, quænam oport-  
 tuna magis de Bigami fatis referendi occasio  
 illi fuisset? Si porro monumentum illud in  
 eccllesia nostra hujus Ernesti Bigami esset,



quomodo utriusque simul & christianæ & sa-  
racenicæ conjugis, sed & ipsius Ernesti aut  
obitus aut sepultura memoriam fugisset refe-  
rentis? De omnibus enim altum est silen-  
tium. \*\*)

a) Ignotum per duo secula in republica litre-  
raria nomen authoris *chronicæ petrensis*  
posteritati quidem jamjam conservarunt &  
manifestum reddiderunt clariss. Viri de Gude-  
nus in *Programmate* de anno 1681. &  
Motschmann in *Erfordia literar.* 1ste  
**Sammlung S. 38.** Sed cum perrarum il-  
lud sit, in hac vero nonnisi pauca de eo  
contineantur, supplere utrumque hac occa-  
sione volui. Est ille Vir piæ memorię  
Pl. Rev. *Nicolaus de Sighen*, monasterii  
nostrī quondam ab anno 1467. professus,  
& studio pietatis & scientiarum amore suo  
tempore notissimus. Anno 1470. S. Pres-  
byteratus ordine initiatus mox inter plures,  
qui tunc temporis ex monasterio nostro ad  
alia cœnobia vel Abbates vel Piores electi  
aut postulati erant, unus fuit celeberrimus:  
pro singulari, quo ardebat, promovendæ  
disciplinæ monastice zelo postquam in va-  
riis monasteriis Prioris munere functus fue-  
rat, ad proprium revocatus scribendæ hi-  
storiæ omnem navavit operam. Est ille  
ipse *monachus Erpesphordiensis*, cuius *Ad-*  
*ditio-*

*ditiones ad Lambertum Schafnaburgen-*  
*sem recensent prædicti Authores de Scripto-*  
*ribus rerum germ. Addendo & continuan-*  
*do proprium compilavit chronicon petren-*  
*se ad annum usque 1495. his verbis con-*  
*cludens: „jam præsentia hoc anno Ego F.*  
*Nicolaus comportavi, & quid futurum sit,*  
*ignoro.„ Peste eodem anno arreptus lau-*  
*dabili studio immortuus est mense Novem-*  
*bris. — originale illius chronicæ Nicol. de*  
*Sighen Mscriptum reperire in bibliotheca*  
*nostra non potui: quo fato vel deperditum*  
*vel ereptum illud fuerit, quo in loco oc-*  
*cultatum forsitan jaceat, ego divinare no-*  
*lo. Licuit vero mihi amicitia clariissimi &*  
*consultissimi Viri D. Chr. Gottl. Voigt*  
*Consil. Aul. & Archiv. Vinariæ, ut con-*  
*ferre ad invicem potuerim nostrum Mscrpt.*  
*cum illo coævo, quod ibidem asservatur in*  
*Archivo principali. Fidelissime nostrum*  
*ab illo descriptum reperi. Sed quod fabu-*  
*la Comitis Bigami de Gleichen manu aliena*  
*eaque longe noviori ad paginas 73. & 74.*  
*addita sit, adeoque de Sighen temporibus*  
*plane incognita fuerit, simul cognovi.*

- \* Utrumque filium quoque exprimunt litteræ condonationis ab Ernesto Comite de Glichen cum consensu filiorum Erwini & Alberti monasterio S. Petri factæ super advocatiæ in Alich & alia prædia de anno



1249. Indict. VII. Silent vero de his aliis-  
que filiis anteriores ejusdem Ernesti Comi-  
tis de anno 1227. Indict. XV. litteræ (utra-  
que epistola continetur in libro nostro co-  
piali) ut hac ratione sufficientem certissi-  
mamque notitiam habuissent tunc tempo-  
ris monachi petrenses sive de præterita Bi-  
gamia, sive de Saracenicæ mulieris adventu  
& domicilio, si veri quidquam res tota  
fuisset.

\*\*) Filiorum Ernesti obitum & sepulturam  
memorat chronica; silet vero de illa ipsa Er-  
nesti & conjugis cujuscumque: nunquid Er-  
fordiæ plane non sepultum illum jacere con-  
cludere licebit? ego quidem pro certo te-  
nebo, usque dum de contrario plene con-  
vincar,

## S. VII.

His ita in lucem positis si nunc factum cum  
temporis, personarum, locorum circumstan-  
tiis conferatur, mira fingentium omnium hac  
in re dissensionis colluvies est, adperta contra  
omnem fidem historicam plurimorum dishar-  
monia. Comes de Gleichen (dicunt omnes)  
quisnam ille? an Ludovicus VI.? an Erne-  
stus II.? an III.? an a Sigismundo, an ab Er-  
wino descendens? (in his enim variant quo-  
quot isthanc tradiderunt historiam) captivus

a

a Saracenis ducitur: quo anno? ubinam loci? quāndiu in captivitate ingemuit infelix? — a Soldani filia liberatus in Polygamia a S. Pontifice rom. dispensationem obtinuit: a quonam Pontifice? quonam in anno? ubinam Dispensationis vel Bulla, vel Breve, vel Rescriptum reperire erit? de his vero omnibus silere potius quam certi quidquam adferre placuit Sagittario, Hondorf, Oleario & aliis. Accuratori, uti videri forsitan voluit, determinatione eandem enarrat historiam auctor *memorabilium Thuring.*; sed vel ideo improbabilitas maxima adparebit. „Ludovicus (VI.) inquit ille, 1200. Sigismundo „Comiti de Gleichen nascitur; magnanimitate „ac labore patri non absimilis Wirceburgi anno ætatis sua 23. torneamento celebrem se fecit. Conjugem duxit Comitissam de Käfernburg, quæ tres ipsi filios genuerat,\* antequam cum Friderico II. Imper. & Thuring & Landgravio Ludovico bellicam susciperet adversus Saracenos expeditionem. Captus ab hostibus in Alkair a Sultano turri includitur, servili mancipatus labore duodecimo calamitatis sue anno liberatur a Melechfala Sultani filia. Iter faciens & mensium venit Rötham, & a Gregorio IX. dispensatur in Bigamia..” Quid

B 4

ultra



ultra desideramus in hac enarratione distin-  
cta, quam dictorum probationes genuinas?  
Chronologicam igitur adhibeamus expeditio-  
nem Saracenicam sub Friderico II. Imper.  
una cum gestis Gregorii IX., qui anno 1227.  
Honorio III. in Pontificatu successit. \*\*)

\* ) Sigismundum Comitem de Glichen, civi-  
tatem Wirceburgum, filios tres ex Comitis-  
fa de Käfernburg notent sibi ex hac histo-  
riæ enarratione lectores; infra combinan-  
di locus erit §. XVI, ubi de sepulchro in ec-  
clesia S. Petri Erfordiaæ. Sed quanta rur-  
sus aliorum hic sit dissensio, inde patet,  
quod alii Comitissam de Henneberg, alii de  
Orlamunde Comitis conjugem velint; alii  
duas alii plures nominent proles, filios fi-  
liasque.

\*\*) conferantur; Schmidis Geschichte der  
Deutschen. 6ter Band 7. Kap. Raynaldus  
ad annos 1226. & ultra. Bzovius in An-  
nalibus Baronii Tom. XII. Chronic. Guill.  
de Nangis in Spicilegio d'Achery Tom. III.  
fol. 31. Sigonius de regn. Ital. Libr. 17.

### §. VIII.

Gregorius IX. statim atque electus curam  
omnem impendit, ut Fridericus II. Roman.  
Imp.

Imp. cruce signatus, quod saepius Honorio III.  
 antea spoponderit, bellum prosequeretur ad-  
 versus Saracenos. Gregorii monitis minis-  
 que nunc repugnare nesciens Imperator ex-  
 peditionem illam comparare & cruce signa-  
 tos omnes convocare cœpit Brundusium 1227.  
 Mense Iunio frequentissimi jamjam ex omni-  
 bus occidentis provinciis confluxerunt cruci-  
 feri. Calore vero æstatis nimium sanguine  
 magna pars hominum gravi valetudine correpta  
 vel æstu vel siti vel aliis incommodis interiit,  
 aliis, qui domos repetere cogitabant, in cam-  
 pis & sylvis demortuis. Navigia demum sol-  
 verunt Christiani 15. Aug. 1227. pro certo ha-  
 bentes, secutum ipsis fore Imperatorem.  
 Solvit quoque Imperator cum Ludovico Thu-  
 ringiae Landgravio 8vo Septembr. At vero  
 per triduum in mare proiectus cursum con-  
 vertit Otrantum, ibique portum ascendit.  
 Demortuo Otranti Ludovico nec se jactatio-  
 nem maris atque incommodam valetudinem  
 pati posse asseruit Imperator relinquens, qui  
 jam præcesserant & prospero vento ad Accon  
 usque in Palæstina adplicuerant, cruce signa-  
 tos. Qua vero re comperta illi iisdem, qui  
 bus transvehabantur, navibus in Italiam re-  
 dierunt, ita ut tota expeditio, cui universa

B 5

fere




fere Europa & magna pars Asiae intenderat, in nihilum redigeretur. Hoc accepto nuncio iratus Pontifex Gregorius IX. in Imperatorem anno 1228. in cœna Domini anathematis sententiam jecit, & per universum orbem christianum denunciari excommunicatum præcepit. Indignatione animi & amicorum variis precibus persuasus Fridericus in Syriam tandem trajecit mense Augusto 1228. Accadem copias exponens. Atvero quod ceu excommunicatus jura Christianorum defendere nequeat, quodque suspectus nimium sit de familiari cum Sultanis Damasci & Babylonie amicitia, quod ostentationis jactationisque causa contra Pontificem cuncta perageret in Syria, Gregorius eodem, quo antea urgebat, nunc impedire progressus Imperatoris conatus est fervore, Friderico interim nihil omitiente, quo se suaque gesta excusare & adversus Gregorium excitare animos Principum valeret. Rebus ita ab utraque parte pertinaciter gestis, suis simul Apulie & Siciliæ terris discrimina pertimescens Fridericus Anno 1229. pacem ad 10 annos cum Sultano init redditis ab illo, quæ Hierusalem inter & maris littora ad Ptolomaïdem interjacent terris una cum castris Ioppen, Sidon, Casarea & Naza.

Nazareth. Denique pace etiam in Italia restituta Fridericus ab excommunicatione absolvitur Anno 1230. Non diu substitut exoptata ab omnibus Pontificem inter & Imperatorem inita pax & concordia; atque cum nova Fridericum ferirent excommunicationis tela Anno 1238. summa in illo adversus Gregorium excandescebat ira, ut armis simul & litteris undique missis vindictam nunc spiraret & conquerireret. Turbulentis demum temporibus defatigatus Gregorius IX. vitam finivit 1241. Hæc itaque inter temporis spatia Comitis de Gleichen enarrata antea facta inquirenda sunt & comprobanda.

### §. IX.

Quodsi Comes de Gleichen, quisunque nunc ille fuerit, (licet D. Galleti p. 236. inter plures Thuringiæ Comites Ludovico conjunctos, nullum nominare potuerit) crucisignatis nomen dederit & patriam cum Ludovico exierit; nunquid redire cum aliis Brundusium non potuit? Quodsi mortuo Landgravi Friderico adhuc adstitisse dicatur, vel Imperatoris vel Christianorum præcedentium copiis conjunctus fuisset, necesse est, Quodcun-



cunque velis, captivitatem Saracenicam hoc  
 anno 1227. probare non poteris, cum ipsa ex-  
 peditio redeuntibus & Imperatoris & Chri-  
 stianorum naviis nulla fuit; sed neque in  
 subsequentibus annis 28 vel 29 sors illa adver-  
 sa Comiti de Gleichen accidisse putarem, eo-  
 quod Fridericus, cum gregem suum adver-  
 sus Saracenorum potentiam sibi minus suffi-  
 cientem noverat, campum nunquam aperuit,  
 vel prudentia vel simulatione persuasus, vel  
 machinationibus atque invidia impeditus;  
 saltem ex gestis Fridericum inter & Sultanum  
 Damasci dira & crudelia cæsareis gregibus a  
 Saracenis illata eruere difficulter licebit. Si  
 duodecim tandem post annos mediante Prin-  
 cipissa Saracenica Comes liber & incolumis  
 Romam redux venit, caveant adversarii, ne  
 a mortuo jamjam Gregorio dispensationem  
 prætendant. Sed notandum simul venit,  
 dissidias, quæ Imperatorem inter & Papam  
 Gregorium denuo exortæ erant, eam dedisse  
 occasionem, ut utraque pars, qua valebat ar-  
 te, adversus alteram insurget. Nullum fere vi-  
 tium fuit, quod Fridericus iratus publicis in lit-  
 teris Gregorio non objecerat, ut authoritatî ejus  
 quocunque demum modo derogaret; certe si  
 hanc contra legem divinam, contra universam  
 ecclie-

ecclesiæ catholicæ doctrinam & praxin dispensationem in Bigamia unquam attentasset Pontifex, non tacuisse objurgationis omnes causas inquirens Imperator. — Eo, quo nullus antecessorum suorum, ardore urgebat Gregorius IX. expeditiones adversus Saracenos, totaque fere Roma tunc temporis occupata fuit, contumeliis atque querelis gravissimis laceſſere Imperatorem Fridericū, quod ſolum malitia impedierit armorum progressus, & dampnum intulerit, christianitati nunquam reparandum: certe si hac epocha Comes de Gleichen strenuus quidem ille, uti narratur, crucisignatorum bellator Romam redux veniſſet, si adeo ipſius Sultani filiam ad christianam convertendam religionem S. Pontifici Gregorio praesentasset, si vel ipſa Romæ baptismatis fonte regenerata & matrimonio juncta Comiti fuisset, maximam totius urbis inse excitasset res ista attentionem, ut nullius fugere potuſſet Gregorii IX. Papæ Biographorum calamum.

§. X.

Deducto hactenus pro falsitate dispensationis argumento multum accedit roboris ex eo,



eo, quod Gregorius IX. ille ipse Pontifex maximus fuerit, qui libros decretalium a Raymundo collectos solemnii sua authoritate vix non adprobaverat præcipiens simul, ut tam in judiciis ecclesiasticis, quam in scholis publicis collectio ista tutissima certissimaque semper norma haberetur. In decreto autem Innoc. III. Cap. *Gaudemus* X. de *divortiis* plana hujus ipsius quæstionis decisio data legitur:  
 „Quia pagani circa plures insimul fœminas „affectionem dividunt conjugalem, utrum post „conversionem omnes vel quam ex omnibus „retinere valeant, non immerito dubitatur.  
 „Verum absconum hoc videtur & inimicum „christianæ religioni, cum ab initio una co- „sta in unam fœminam sit conversa & scri- „ptura divina testetur, quod propter hoc re- „linquet homo patrem & matrem & adhære- „bit uxori suæ, & erunt duo in carne una;  
 „non dixit tres vel plures, sed duo: nec dixit „adhærebit uxoribus, sed uxori . . . per „quod evidenter apparet, pluralitatem in „utroque sexu circa matrimonium esse „reprobandam.„ Equis igitur aut sibi aut alteri persuadere poterit, Gregorium ipsum primum fuisse & unicum, qui contra legem vix confirmatam & ab omnibus ecclesiis accep-  
 tam

ceptam ageret, quin ei contradicere vel unus Episcopus ausus fuisset, quin historiographus coævus adnotandum factum putaverit?

### S. XI.

Sed quænam demum res est de monumento illo in ecclesia S. Petri Erfordiæ, quæ fictioni primam dedisse causam videtur? Illud enim ipsum fateor, ansam dedit, ut detegendæ, quæ per duo secula obtinuit, fabulæ & studium adipicarem & manum: varia sunt, queis illudere publico hucusque conabantur scriptores variii prædictum delineantes monumentum. \*)

\*) Hujus rei monumentum Erfordiæ etiamnum exstat (inquit Hondorf apud Bayle l. c.) in quo ex utroque latere Comiti uxores adstant. Regina marmorea corona ornata; Comitissa sculpta est nuda & infantes ad ejus pedes reptantes. — Infantes ad pedes Comitissæ reptantes nudamque illam sculptam nec ego quidem inveni nec antecessorum meorum quisquam inventisse recordatur: forsitan, quod illis a seculi decursu ad ossa coinitialia parentum submississime repere, huic vero ad conjugis sui & Saracenicæ exemplum ueste lapidea gratiose



se similiter se indui interim placuerit.  
— Triplex adsignat Sagittarius fol. 56. se  
invenisse ad lapidem sepulchri Insigne: Co-  
mitis nim. *Abbatis*, & *monasterii*. Ego  
quidem nihil quam tres animadverto in com-  
muni satis grandi lapide bene sculptas ima-  
gines, Comitem, nudum capite, armatum  
gladio, manu dextera tenentem coronatum  
erectumque leobardum, insignitum ad pe-  
stus stella, medium duas inter fœminas:  
utraque uno eodemque gustu antiquo ve-  
stita, utræque ligata velo quodam a capite  
ad mentem, utraque concta capite modo  
fere quo esthlandicæ solent fœminæ (Pårg  
dicitur in Huyvels Wetterbuche 1780.) sim-  
pliciter quidam altera, altera decorationi-  
bus stellarum lapidi incisarum insignita, li-  
bro insuper, quem in brachio tener, illa ad  
latus dexterum distincta videtur. Cum co-  
loribus obductæ sunt, in uno eodemque  
ideali ad partuisse sculptori, animadvertere li-  
cebit, quamvis alteram juniores altera de-  
lineare voluisse existimat; asiatica saltæ  
orientis in naso & facie Saracenicæ hactenus  
dictæ lineamenta detegere nullus poterit  
artis pictoriæ & originariæ illarum gentium  
strudere gñarus. — *Gallum* ceu Insigne  
*Abbatis* in nullo invenio, quotquot fuere,  
*Abbate* præter D. *Andream*, qui cognomine  
*Gallus* dicebatur: *Electus* vero est ille anno

1608.

1608. demortuus anno 1627. Si igitur adesset, nonnisi januæ super sepulchrum existentis novitatem probaret, cuius extensis initium & causam infra §. XVI, indicabo.

## §. XII.

Antiquitatis satis claras præ se fert notas monumentum istud in ecclesia nostra; sed quo demum seculo positum illud, cuius Comitis de Gleichen genuinum sit, (in monumento enim annus incisus non legitur) varie a variis hucusque disputatum fuit. Una a Sagittario confessa utpote a monachis antiquioribus dudum declarata, sed quam ipse simul abnegat, adnotatio attentum me reddidit & veritatis inquirendæ cupidum: „ostendunt equidem monachi S. Petri, inquit ille „l. c., Insigne aliquod parieti in ecclesia eorum adfixum, dicentes, esse hujus Bigami „Comitis; sed non est hujus; est vero Sigis. „mundi anno 1494. demortui. — Nunquid ignorantes adeo confratres meos antiquiores reputarem, cogitavi tecum illa legens, ut Sigismundi nomen annuinque clare expressum non cognoverint? certe non omni fine fun-

C

damen-

cuerit.  
156. fe  
e: Co  
Ego  
n com  
s ima  
natum  
natum  
ad pe  
minas:  
no ve  
capite  
modo  
(Pårg  
sim-  
ationi  
ta, li  
illa ad  
um co  
emque  
tere li  
ra de  
saltem  
tenuis  
poterit  
ntium  
nsigne  
fuere,  
omine  
e anno  
1608.



damento idipsum edixisse monachos putarem.  
Quæsivi denuo, & rem totam invenisse con-  
fido.

Sagittario multa magnaue esse merita in  
Comitum de Gleichen illustrata historia,  
nemo negabit: esse vero eandem in pluri-  
bus mancam atque in genealogia præcipue  
defectuosam, sedula quemvis convincet in-  
stituta observatio. Non minus meritorium  
esse cujuscunque idonei & misa donati  
illud negotium arbitror, quo denuo inqui-  
rere & certa a dubiis vera a falsis fecer-  
nere laboraret.

### §. XIII.

Chronicæ nostræ domesticum auctorem  
*Nicolaum de Sighen*, coævum simul Sigismundi  
Comitis de Gleichen temporibus, præsen-  
tem & ocularem totius rei gestæ testem  
consului isthæc de illo referentem; „Anno Do-  
mini 1494. obiit 8va die Martii, quæ tunc  
fuit Sabbato ante Lætare, in Tunna gene-  
rosus Comes Sigismundus de Glichen: Mi-  
les strenuissimus erat: vir magnanimus  
„cor-

„corpore & animo maximus; non habuit sibi  
 „in bellicis actibus similem; quippe qui se-  
 „mel in bello in acie stetit maxima, in qua  
 „tres Principes manu captivavit sua. Contra  
 „hunc Sigismundum & fratrem ejus Adulfum  
 „1449. bellabant Erfordienses cives, ut multa  
 „damna fierent. Sed inde adduxit cives, ut  
 „se coram eo humiliarent & pacem peterent.  
 „In juventute sua & adolescentia fuit vir au-  
 „dax, & vix sibi similis in Thuringia extitit.  
 „Et ideo satis dure contra monasterium S.  
 „Petri processit circa annum D. 1460 ab Ab.  
 „bate Günthero hospitium & pabula pro equis  
 „expostulans. a) Uxor Sigismundi Comitis  
 „de Glichen legitima secunda, generosa Co-  
 „mitissa *Catharina de Schwarzburg* progenita  
 „obiit 1484, regnante pestilentia in variis pro-  
 „vincis Erfordiae: quae in eadem quadrage-  
 „sima honorifice ad S. Petrum sepulta fuit  
 „circa sepulturam Comitum versus Altare S.  
 „Jacobi. Nam dudum ab antea Anno Dom.  
 „1464. b) prima uxor ejusdem Sigismundi ad  
 „S. Petrum sepulta fuit, quae *Agnes* nominata  
 „& una de *Queerfurt* extitit. Sigismundo ve-  
 „ro mortuo & ibidem tumulato, cum haec ea-  
 „dem prima uxor extumularetur, adhuc in-  
 „venti sunt crines ejusdem Agnetis sic con-



„stricti atque complicati, ejusdem pulchritu-  
 „dinis & recentiæ, ac si vix ad unam hebdo-  
 „madam sub terra latuisset; licet caput ejus  
 „horribiliter fuit dispositum. — Idem autem  
 „Comes *Sigismundus* de Glichen tunc princi-  
 „palis ejusdem Comitatus Comes & multum  
 „nominatus dedit ad S. Petrum Anno 1485.  
 „vestem purpuream & auream valentem 150  
 „florenos . . . Similiter jam per antea ca-  
 „sula ejusdem valoris data fuit per generosum  
 „Comitem *Ludovicum* de Glichen, qui obiit  
 „1467.


a) „Comites de Glichen (refert idem de Sighen  
 „ad annum 1373.) ex quadam consuetudi-  
 „ne cœperant esse Advocati & Defensores  
 „monasterii S. Petri, & ibidem sepulturam  
 „suam habere. Et licet aliqui eorum Co-  
 „mitatum videl. *Henricus*, *Hermannus* &  
 „*Albertus* plura bona & privilegia ad S.  
 „Petrum dederint; tamen cœteri mundo  
 „dediti voluerunt esse quodammodo Domi-  
 „ni monasterii; & sicut ex relatione didici,  
 „nonnunquam ipsi Comites ad monaste-  
 „rium ex improviso advenientes omnia, quæ  
 „invenire in vietualibus poterant, devora-  
 „verunt. Ab hoc onere ut liberaret mona-  
 „sterium, sollicitavit quam maxime *Theo-*  
 „*doricus* Abbas S. Petri; tandem in vigilia  
 „,Ss,

„Ss. Apostolorum Petri & Pauli anno 1373.  
 „Comites exempti sunt a monasterio pro  
 „400 marcis puri argenti scil. pro 2800  
 „florenis, ut nullam amplius habeant in mo-  
 „nasterio potestatem sive dominium, & ne-  
 „que pro se neque pro equis suis pabulum  
 „debetur. Tamen *Sigismundus* iterum  
 „jura suorum progenitorum graviter &  
 „multipliciter exigere attentavit; & ni<sup>fi</sup>  
 „Dux *Wilhelmus* & alii boni amici mona-  
 „sterium defendissent, ipse monasterium  
 „variis modis vexasset.

- b) Emendandam esse chronologiam Sagittarii  
 fol. 364. dicentis, mortuam fuisse *Agnetem* 1461. & coniunctum matrimonio se-  
 cundo cum *Catharina de Schwarzburg*  
*Sigismundum* fuisse 1462, ideo putarem,  
 quod Sighen domesticus & contemporane-  
 us testis custodis ecclesiæ nostræ munere fun-  
 dus majore fide dignus esset.

#### §. XIV.

Cum his ex chronica de Sighen relatis con-  
 ferre simul placeat, quæ Sagittarius l. c. de  
 eodem refert Sigismundo: — „Anno 1461.  
 „consultum firmiter tenuit Sigismundus Co-  
 „mes de Gleichen, peregrinationem (quæ  
 „tunc temporis frequentes fuerunt) cum Wil-  
 C 3 „helmo



„helmo Saxonie Duce *in terram S. Hierusalem ad sepulchrum Domini instituere.* Venientibus vero illis Eichstadium usque mensum mutavit Sigismundus, ut 3<sup>to</sup> Aprilis in scio Wilhelmo redux iret in patriam suam — „Anno 1466. defuncto Ioanne Episcopo Wircebburgensi Princeps de Henneberg multum sollicitavit, ut Fratrum suorum unus ad episcopalem illam elevaretur sedem; ad quem finem consequendum intercedentium Fratrum Ernesti Electoris & Albrechti Ducis Saxoniæ auxilio usus est, quorum insigni Comitatu simul intererat *Sigismundus de Glichen.* — Primam Sigismundi conjugem Agnetem de Querfurt tres ipsi filios unamque filiam genuisse enarrat Sagittarius, absque liberis vero defunctam esse *Catharinam de Schwarzbürg* — Hanc simul fatetur filiam fuisse *Henrici Comitis de Schwarzbürg*, & *Elisabetha conjugis ejus prognatae Duciſſae de Cleve*, quam quidem *juvenem* adhuc viduam Comitis de Busen Mansfeldiae duxisset Sigismundus. — Denuo adnotentur, quæ eodem seculo de aliis duobus Comitibus de Gleichen refert *de Sighen*: „Anno 1461. in die S. Marci obiit generosus Comes *Ludovicus de Glichen* & Dominus in Blankenheim ad S. Petrum

„Petrum sepultus: hujus Ludovici frater *Ernestus* vir inclytus & nominatus miles fuit in „terra Sancta & in Norinberga obiit, ibidem- „que sepultus est; uterque *varia ornamenta* „ad S. Petrum dedit.

## S. XV.

His demum conquisitis & adinvicem collatis ad lineam usque *Sigismundum* reperi medium duas inter uxores, quas successive & legitime duxerat, *Agnetem* & *Catharinam*, in nostro monumento sculptum, exulante simul cum detecta fabula e Thuringiæ nostræ provinciis principissa Saracenica. — Vir grandis jacet in epitaphio Comes, ut juxta carcerem a Sighen descriptum audax animo & fortis corpore facile videatur. — Alteram a sinistris jacentem *juniorem* illa a dextris supra notavi, notat & illa a cl. de Falkenstein in Anal. Nordgav. delineata effigies, & quod simul ex parte matris Elisabethæ *Catharina de Schwarzburg* a domo *Ducali de Cleve* descendit, quid impedit, quominus vel ideo specialibus in capite distinctis décorationibus insignitam illam fuisse conjecturemus? (ornamentum Saracenicum certo non est; alias il-

C 4


lud



Jud in *Thuringia sacra* in conjuge Eckardi II.  
Marchionis Tab. 22. pariter Principissam Saracenicas indicaret.) Aliorum omnium Comitum de Gleichen in ecclesia nostra hoc seculo tumulato rum lapides sepulchrales omnes invenio, incisis simul eorum nominibus & annis mortis, non vero *Sigismundi & uxorum ejus a Sighen* accurate descriptum, nisi illud monumentum Bigami accordare velis: nonne vel ideo huius solius Insigne parieti adlatus recta linea in ipsius perennandam memoriam affixum fuisse, tuto crederem, quoniam in monumento sepulchrali ornate sculpto locus non esset, quo commode incidi nomen & annus potuisset? — Quod locum sepulturæ & Sigismundi & conjugis utriusque accurate adsignet testis ocularis de Sighen, de lapide vero ejusdem sepulchrali fileat, ratio est, quod anno subsequenti 1495. peste Erfordiam devastante præmatura morte consumtus structuram illius & erectionem non supervixerit. Dolendum autem maxime, quod in Necrologio nostro ab anno 1485 hujus ipsius Sigismundi nomen quidem & mortis annus inventatur; rubrica vero illi addita, unde maxima forsitan ejusdem notitia haurienda esset, deta & absorpta videatur, ut legi non possit. —

Tem-

Temporum insuper injuriæ & calamitati adscribendum est, quod ulteriora post D. Nicolaum de Sighen non reperiantur documenta genuina usque ad *Petri Friderici* ætatem, qui quondam monasterii nostri dignissimus Confrater, Bibliothecarius & Prior chronicæ ex fragmentis colligendæ ac prosequendæ laudabilem rursus navavit operam: a) atque in hujus demum collectione prima occurrit lapidis controversi sepulchralis mentio: contemporaneus rursus testis *Friderici* hæc refert: „Anno 1678. sub Rdmo D. Adamo Abbatte destrūctum est Altare S. Barbaræ, quod stetit in medio templi ante sepulchrum Comitis de Gleichen, cuius Comitis lapis sepulchralis post hoc Altare ad duas ulnas & amplius erat elevatus ac pulchris structuris adornatus. Translato Altari sepulchrum totum humiliatum est, lapide sepulchrali in terram locato & janua seu porta apertibili desuper facta . . . Nunquid Nicol. de Sighen eandem ejusdem lapidis publice quidem erecti notitiam non habuisset, si præsens suo tempore & ipsus fuisset? Locus, ubi nunc visitur monumentum istud, ille ipse fere est, quem *Sigismundo & uxoribus ejus* adsignat *de Sighen*. — Quod ornatus ille, quem in mi-



tra Abbatiali & cruce Planetæ superimponi so-  
 lita consistentem asservamus, margarithis spe-  
 ciose admodum multo labore, sed & arte ma-  
 gna compositus *Saracenicæ Principissæ* a variis  
 hucusque gratis adscriptus fuerit, vel inde  
 adparet, quod annus in cruce expressus  
 18<sup>vo</sup> optime conveniat seculo Sigismundi;  
 licet, an ab hujus conjuge aliqua, an ab  
 alia quacunque inter varias Comitissa de Gle-  
 chen ornatus ille fabricatus sit, an emtione  
 an donatione ad monasterium pervenerit, defi-  
 cientibus documentis b) divinare non possim.  
 Sed inde quoque, si structura prædicti orna-  
 tus cum altera, quæ adest, „insula per ma-  
 „nus nobilis Dnæ *Sophiæ de Glichen* operata  
 „& anno Dni MCCCLVI. per Theodericum Ab-  
 „batem procurata (*sunt verba in mitra expref-  
 fa*) conferatur, ex perfectiori longe artis acu-  
 pingendi cultura novioris seculi vestigia a-  
 perte in eo leguntur.

- a) Biographiam ejus accurate collegit &  
 edidit *Christ. Mutschmann* in *Erford. liter.* 3te Sammlung nro. XXXVI. S. 461  
 Hujus vestigia novissime secutus fuit p.  
 m. *P. Gallus Staffen* monasterium no-  
 strum Professus & Bibliothecarius, cui  
 ob

ob indefessum in colligendis ac descri-  
 bendis antiquitatis litteris studium ac la-  
 borem publicum gratitudinis monu-  
 mentum hac occasione ponendum pu-  
 tavi. „Ne thesaurus Manuscriptorum  
 „(inquit ipse in collectione sua ultima)  
 „quæ temporis lapsu detrita jamjam &  
 „perditioni proxima videbantur, nobis  
 „penitus eriperetur, & quod plura in va-  
 „riis deprehenderim, quæ accuratiorem  
 „de fatis monasterii notitiam suppedita-  
 „rent, quodque in pluribus volumini-  
 „bus eadem sparsa compilatorum ocu-  
 „los saepius effugerint, studii antiquita-  
 „tis amore atque præclarissimis mona-  
 „chorum Benedictinorum exemplis pro-  
 „vocatus, animum adjeci, omnia illa,  
 „quotquot invenire adhuc potui, fideli  
 „manu de novo describere, & in unum  
 „colligere volumen, ut exinde aut mihi  
 „aut alteri antiquitatum æstimatori ubi-  
 „rior occasio daretur, accurate consi-  
 „gnandi monasterii S. Petri Annales....  
 Imbecillitate corporis defatigatus præ-  
 matura morte nobis ereptus est vir di-  
 ligens ac doctus i. Aprilis 1780. ætatis  
 suæ anno 57mo.

b)



b) Antiquum monasterium nostrum petrense est, cui quondam absque dubio optimis & coævis provisum fuit documentis & manuscriptis, quæ Thuringiæ nostræ certo inservirent illustrandis historiis; atvero nunc spoliatum ferre singulis reperitur, ut nonnisi fragmentis & descriptionibus contenti esse debeamus. Dilapidationis interrogas causas? — Bella, Incendia, Devastationes sunt. — Pauca desuper ex nostra de Sighen chronica attulisse, non indignum reputabit Lector benevolus:  
 „Anno 1079. ab exercitu regis *Henrici*  
 „monasterium S. Petri, quod dudum Da-  
 „gobertus Francorum rex construxerat,  
 „cum maxima parte civitatis Erford.  
 „incensum & annihilatum est, quod ex-  
 „inde vetustate simul & incendio lapsum  
 „corruit. — Anno Dom. 1142. parum  
 „ante obitum Rudigeri Abbatis (electus  
 „fuit 1138, præfuit monasterio quatuor  
 „annis) videl. 7<sup>o</sup>, Maji civitas Erfurten-  
 „sis occulto Dei judicio incensa est & con-  
 „cremata. Monasteria quoque S. Petri  
 „Sanctique Severi Episcopi cum aliis  
 „Sanctorum ecclesiis igne consumta sunt,  
 „&

„& sicut famatur, nova structura muro-  
 „rum S. Petri ecclesiæ propter inopiam  
 „ac damnum istius combustionis annis  
 „quindecim sine tecto permanxit. Et  
 „verisimile est, quod hoc in damno pri-  
 „vilegia, libri cæteraque clenodia mo-  
 „nasterii S. Petri vorax flamma consum-  
 „sit. Et ea ex causa parum aut omnino  
 „nihil invenitur de statu monasterii S.  
 „Petri, videl. qualis in antea fuerit, vel  
 „cujus dignitatis, probitatis sive condi-  
 „tionis Abbates videl. *Burkhardus, Rip-*  
 „*pertzus Doctor, atque Wernherus exti-*  
 „*terint.* — Anno 1203. regis Bohemiæ  
 „Odoakri 1400 militum exercitus, quæ  
 „erant Moguntini & Erfurdensium, omnia  
 „crudeliter devastavit, nulli claustro, nul-  
 „li ecclesiæ parcendo. — Novissime de-  
 mum refert aliquod Mscrptum Anony-  
 mi: „Cum ab anno 1631. ad annum  
 „1639. in bello Suevico a Senatu Erfor-  
 „densi ex monasterio S. Petri omnes eje-  
 „cti monachi fuissent, per pacificatio-  
 „nem Pragensem restituti monasterium  
 „suum totaliter spoliatum reperierunt.—  
 Varia & pretiosa manuscripta *ex bibli-*  
*oteca S. Petri Erfurti* in bibliothecis  
 Stock-

pe-  
 bio  
 cu-  
 rin-  
 an-  
 fe-  
 rag-  
 esse  
 gas  
 sta-  
 no-  
 non  
 us:  
 rici  
 Da-  
 erat,  
 ord.  
 ex-  
 sum  
 rum  
 etus  
 uor  
 ten-  
 con-  
 etri  
 aliis  
 sunt,  
 , &



Stockholmii & Upsaliæ reperiri varii re-  
tulerunt peregrinantes.


## §. XVI,

Atque hæc quidem motiva sunt, queis ego  
convictus monumentum illud in ecclesia S.  
Petri per orbem hactenus decantatum *Sigis-  
mundo de Gleichen* attribui vellem, qui me-  
dius inter duas uxores *Agnetem de Querfurt*  
& *Catharinam de Schwarzburg* adpareret, ut to-  
ta illa Bigami *Ernesti & Principissæ Saraceni-  
cæ* fabula penitus demum exuicit. Ne publi-  
cum diu satis illusum Saracenicæ ultro viden-  
dæ causa confluat, sed ut antiquitatis monu-  
mentum, & quæ vera illius historia sit, tan-  
dem cognoscat, hæc scribere placuit. Ex  
varia variorum Comitum de Gleichen relatio-  
ne historiarum, ex sinistra peregrinationum  
in terram sanctam interpretatione, ex vagis  
de monumento Erfordiensi præsumptionibus,  
ex malitiosa fingendi libidine suam traxisse ori-  
ginem videtur prædicta fabula; ignorantiae  
pabulo nutrita excrevit, credulitatis infirmi-  
tate sustentata hucusque remansit. Publici-  
tate


tate donandam rem totam p̄utavi, ut eruditōrum subjecta calculo vel magis illustretur critica aliena, vel satis illustrata corum simul muniatur adprobacionis auctoritate.

T A N T V M.









DISQVISITIO  
HISTORICO - CRITICA  
**IN BIGAMIAM COMI-  
TIS DE GLEICHEN**  
CVIVS MONVM EST IN ECCLESIA  
S. PETRI ERFORDIAE.

VNA CVM  
SYSTEMATICA THEOLOGIAE  
CATHOLICAE SYNOPSI

QVAM  
ANNVENTE S. FACVLTATE  
THEOLOGICA  
IN ALMA AC PERANTI QVA VNIVERSITATE  
ERFORDIENSIS  
PRO CONSEQVENDA DOCTORA-  
TVS THEOLOGICI SVPREMA  
LAVREA

PUBLICO ERUDITORVM TENTAMINE

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

